# *GEORGIANA:*

SIVE

# TENTAMINA POETICA

IN

# Georgium Sereniſſimum

## Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ REGEM.

---

A JOANNE CRABB, de *Breamore*, in Agro *Hantonienſi*, quondam Collegii *Exonienſis* Socio: Et Nobliſſimio Principi, GULIELMO Duci de *Mancheſter*, à Sacris.

---

*Serus ad cœlum redeas, diuq;*
*Lætus interſis Populo Britanno.*

---

*LONDINI:*

Ex Officina JACOBI KNAPTON, ad Inſigne Coronæ in cœmeterio Divi *Pauli*. 1725. pr. 1 s.

BODLEIAN
P
30 OCT 1970
LIBRARY

AUGUSTISSIMO

# PRINCIPI GEORGIO

Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ

# REGI.

*N tibi ad Sacratissimos pedes provolutum Subditorum humillimum, juxta ac fidissimum! utpote qui rebus cum adversis tum prosperis, ab ipsa usque ineunte* Revolutione, *(anno nempe illo Religionis & Libertatis restauratæ) nunquam non erat sui similis, non Tergiversator, non Versipellis, sed eodem plane animi tenore adductus,* Gulielmi, *ne dicam* Tui, *amantissimus: (idque quotquot me satis nôrunt, nôrunt satîs.) Dignetur utique Sacrosancta Vestra Majestas, hoc (quantulum id cunque est) Munusculi, boni consulere: Si neutiquam displiceat, Voti fio compos; sin minus*

*placeat, non inter Aulicos, ſed Ruricolas ut plurimum degenti ignoſcere ne graveris. Cæterum, qualitercunque ſeſe res habeat, hoc ſcilicet unum animitus vovere & precari nihilo ſecius non deſinam, ut perinde ac in Conſtantini Magni (quem in Te etiamnum ſpirantem colimus) Numiſmatibus videre eſt, Deus Opt. Max. (cujus vices in terra geris) Te quam diutiſſime conſervet incolumem,* Populi Anglicani Gaudium, Seculi Gloriam, & Temporum Reparationem. *Quinimo Te* Fidei *identidem* Defenſorem *&* Pacis Sequeſtrum, *non modo Britannia hæc veſtra, ſed univerſim Proteſtantium Orbis amet, veneretur, adoret: quo fiat, ut etiam à ſummis atque imis in grates, laudeſque veſtras (quas Sacrilegii inſtar eſſet tacere) certatim eatur: & profecto qui aliter vota fecerit, effabor libere, aut Anglus nunquam fuit, aut ſaltem deſiit eſſe. Abſque Te namque eſſet, vel ipſa Anglia in Anglia deſideraretur, & quaquaverſum* Gens Cucullata *&* Loiolæ Progenies, *ut ut fœdiſſima, in lucem proreperet: nec non legibus aſtricta nullis effrænis & indomita libido ubicunque terrarum graſſaretur, & è tuis ſupereſſet ne unus quidem, nedum*

S.S. Majeſtati Veſtræ

Quam humillime Subditus

*Johannes Crabb.*

# Syllabus CAPITUM.

ΠΡΟΣ τὸν Βασιλέα. vii

*In Georgium reducem carmen* ΘΡΙΑΜΒΕΥΤΙΚΟΝ, *Anno* 1719. p. 1

*Panegyricon triumphale rusticum in Invictissimum Georgium Salisburiam invisentem.* 5

*Luctus & lætitiæ certamen, sive Somnium Poeticum in Conjurationem, sc. perdite et usq; quaq; nequam,* &c. 16

*Georgius redux, viz. circiter Jani calendas. Anno Dom.* 1723-4. 17

Ευχαριστήριον *academicum ob munificentiam verè Regiam erga Academiam utramq;* 22


*Ad*

*Ad Principissam.* 35
*In utrumque Georgium & Regem & Principem.* 37
*Ad Senatum de illustrissimo Duce Marlburiensi apud* Blenheim *sepeliendo.* 38
*Illustrissimi, sc. ejusdem Ducis, Epitaphium.* 39
*Ad Regem, de ejusdem sepultura* apud Blenheim 40
*Ad eundem sc. Literarum Fautorem longe* munificentissimum. ibid.
*Ad eundem de leæna duos catulos enixa in turre sc.* Londinensi. 41
*Ad virum honoratissimam* P. K. *fama referente ad Cancellarii dignitatem evectum.* 42
*Ad Regem.* 43

ΠΡΟΣ

## Πρὸς τὸν ΒΑΣΙΛΕΑ.

Χαῖρε πάτερ πατρίδος χαλεποῖσιν ἐν ἄλγεσι Σῶτερ,
Κοινὸν ἐὼν ἀγαθὸν πολῆί τε παντί τε λαῷ.
Ἄννα ταρασσομένη βουλαῖς δειλαῖσιν ἀπήλθεν
Εἰς δνοφερὰς ἀϊδαο δόμους ὑπὸ κεύθμασι γαίης.
Ἀλλάγε πρός τε θεῶν μοῖρας ἃς δεῖ μαχέσασθαι.
Τῶν πολυκωκύτων θρήνων περὰς ἔχατον ἔστω.
Νῦν ἢ μὲ ἀλλήλοις σὺν φόρμιγγι καὶ ἀοιδῇ
Χρὴ χαριέντα λέγειν ταχεῶν ἔκτοισθεν ἁπάντων
Σὺ μὲ ἔχων πόλλους ἀσπασμὺς καὶ φιλοτήτας
Τῶν θνητῶν ἐπὶ γῆς δὴν δὴ μέγα θαῦμα γενέσθω
Αλλ' ὅταν εἰσηλθῆς ὁλολάμπρου πύλας ὀλύμπου,
Σκῆπτρον ἄμεινον ἔχων μακάρεσσι θεοῖσιν ἑταῖρος;
Παλῳῷ κλισμῷ δεῖ σὺ γένος ἐγκατακεῖσθαι
Τοῖσι θεοῖσι φίλον, καὶ πᾶσιν τοῖς Βρετανοῖσι
Σὺ δ' ὕτως ἔσση πᾶσιν ἐσσομένοισιν ἀοιδή.
Καὶ σῆς ἀρετῆς μέγα κλέος ὑπὸ ὀλεῖται,
Καὶ καθ' ἔτος παρὰ σὺ Βωμῷ πλώσυς ἑκατόμβαι.

# IN GEORGIUM

Reducem, (*Anno* J. C. 1719.)

## CARMEN ΘΡΙΑΜΒΕΥΤΙΚΟΝ.

ALVE Gentis honos, ſummorum Gloria Regum,
Cujus ad arbitrium totus componitur orbis :
Hæret hians populus, pendens & ab ore loquentis
Mira aures, oculoſque avidos dulcedine paſcit.
Mitrati Patres, Proceres atque ordine longo
Cæſaris ante pedes corda atque Inſignia ponunt.
Atque perorando quam vellent dicere laudes ?
Ardua ſed virtus, operoſaque gloria rerum
Imponunt ipſis dicendi in limine finem.
Cæſareum pondus ſe ſuſtinuiſſe profundo
Oceanus Pater ipſe ſtupet, Gens edita ponto

Tota abit in plauſus, fremituque exæſtuat æquor.
Navigium, quod ſenſit onus, tam grande Deorum
Depoſitum, Statione ſuâ ſua carbaſa pandit,
Quæ noſtris, dum vela dabas, tumuere ſecundis
Votis, ut lætas ſubeas Trinobantidos arces,
Dulce Decus Britonum, *Fidei Defenſor* avitæ,
Cæſaris Auſtriaci vindex, & cura Deorum,
Cui tanti eſt, & erit *Malburius inclytus Heros*,
(Quem Mitræ, galeæque ferax *Dorſettia* jactat,
Qualem nec Latium peperit, nec Græcia novit)
Cui cum Summa dies veniet, torpore ſoluti
Heroum aſſurgent cineres : *Naſſovius* ipſe,
Hunc digito extenſo monſtrabit, dicet & hic eſt
Gallorum terror, Patriæ tutamen & ultor,
*Europæque Stator*, caput inſuperabile bello.
Sunt leges conſulta tua, atque oracula dicta,
Spirat & ore tuo *Gulielmi* vivida virtus,
Alter in alterius ſpectatur imagine Princeps,
Si tibi nulla foret Dia & Numeroſa Propago,
Fama tibi à ſeris ipſis adoleſceret annis.
Grande aliquod meditans Natura inſpexerat omne
Exemplare ingens, ut cuncta abſolveret uno.
En Diadema tibi galea eſt ! Sunt prælia laurus,
Atque tonitrua Io Pæan, vigilantia Somnus :
Lex tibi ſumma, *Salus populi* : Sacraria caſtra.
Par tantum, ſimiliſque tibi es, tibi ſufficis uni :
Materies ſolum, (nunquam tibi deficis) obſtat.
Ipſe aula in media (ſi me non ludit imago)
*Auguſtus* mihi nuper erat per ſomnia viſus :
Obtulit ultro ſceptra tibi, & diademata, & inquit,
Hæc tua, Majus in orbe decus, pia tempora cingant,
Et Jani accipias claves, valvaſque recluſas
Ancipiti bello æterno munimine firmes :

Dix-

Dixerat, & ſubito in tenues evanuit auras,
Et lævum intonuit, totuſque inclaruit æther.
Mavorti ſimilis, ſimul & Mars ipſe videris :
Prælia mille oculis, tet mille trophæa videntur
Fronte tua, gladiumque Indoſque utroſque *Philippus*
Projicit ante pedes veſtros in pignora pacis,
Nec jam *Thyrſites* ita pulcher habetur *Adonis*,
Caſtellæque Domus vix hoſpita tecta *Jacobo*.
Septeni trepidant colles, & Tibridis unda
Flumine retro acto tota eſt percuſſa pavore :
Hæc videt & ſtupet *Altitonans* Pater ille *biformis*,
Iratos Divos, infenſaque ſidera clamat,
Noſtra at feſtivis collucent atria flammis :
Dicite Io juvenes, & Io bis dicite patres.
*Inſula palmarum* noſtra eſt, en fronte Britannum
Naſcuntur lauri ! quæ late conſpiciuntur.
At Deus intererat, non hæc ſine Numine fiunt :
*Subverſos* teſtor *Currus*, *Reduceſque Tabellas* :
Teſtor & *Armiferam* proſtratam turbine *Claſſem*.
Ipſe apud *Oxonides Sheldoni*, & in Æde ſtupenda
Sumat Apollo Chelyn, chordas digitiſque pererret,
Exornetque melos chordarum carmine pulchro :
Tota adſit citharisque auratis Turba Novena,
Totaque facundæ ſe pandat Scena coronæ :
Certatimque tuas contendat dicere laudes,
Nec ſibi tam plaudant tam *longe accita* apud Anglos
*Marmora* *, dum teferunt Heroum facta ſuorum.
Te abſque eſſet, ſpoliata ſua foret Ægide Pallas :
Mænia *Radcliffi* ruerent ſurgentia, & ipſa
Vix bene tuta forent *Bodlei* ſcrinia ſacra,
Muſarumque Domus fierent habitac'la cucullis,
Ejectoſque ſuos ploraret *Magdala* natos :

 (Elo-

* *Viz.* Arundeliana.

(Eloquar, an Sileam hic ?) Isisque, argentea visu,
In Thami amplexus urgeret decolor Undas:
Atq; Maritales augeret fletibus undas.
Hæc namque his oculis vidi, obstupuique videndo,
Ast piget hos inter plausus renovare dolores.
O quam te celebrem, æternum celebrande GEORGI!
Jure Periscelidis cui serpit vitta per artus:
Salva tuo Patrocinio non Anglia sola est,
Haud speranda cies sævas in fœdera gentes.
Quas late orbe tuo sejunxerat Amphitrite
Et pulchro & stabili sociasti fœdere gentes:
Mitescunt *Sueci* & *Dani*: Nomadumque Tyrannus
*Cæsar hyperboreus*, tanquam sua frigora torpet,
Teque licet *Medium* titubanti voce recuset,
Ore tamen pleno reboantes fluctibus arces
Angliacæ, *Moscum* verba articulata docebunt,
Machinæ & ignivomæ glacialia Marmora solvent.
Næ ferro & flammis agros devastet & urbes,
Inter *Coristiadas* Turca truculentior omni,
Portentum populis dirum, queis imminet Arctos.
Quin Marium Domitor *Bingus* sua fulmina mittit
(Fulmen & ipse, licet bello haud imitabile fulmen)
Terrarum stupor & pelagi, tremebunda voluptas:
Fas erit æquoreis diffundere gaudia campis,
Oceanoque frui toto, juvat usque vagari,
Æstuat angusto Hippocrenes limite Musa.
Scotiaque, Imperii non ultima gloria vestri,
Jure suas jactet lauros, & fulmina belli:
Læta lyramque suam digitis pertractat Ierne,
Oceani, Geniique tui Munimine tuta.
Non bifidus legum interpres, non ore bilinguis
*Circuitus* peragit judex: Astræa revisit
Terras, & veneranda Themis tenet ipsa tribunal:
Purpura nil suadet, nec jus divenditur auro.

Hinc

Hinc ſpectata fides tanto in diſcrimine rerum,
Cum in triviis, ipſis templiſque furebat Enyo,
Horriſonaſque tubas inflans, quatienſque flagellum
Mittebat ſævos late per colla colubros:
Sic pro quadrigis conſcendere *pulpita* avebat.
*Eyrus* & ille tuus, cui vultus pectus honeſtum
Indicat, acta fidem, leges tutatur, & ornat.
Et decus eximium Tripodis, *Kingſtonius* Heros
(Quem invitum comitatur honos) oracula pandit:
Pallente invidia, Titulos licet auxit avitos,
Ipſe tamen titulo omni præcellentior, inter
Stelliferos Divos proprium dat pondus *Honori*.
*Privatæ ceræ* cuſtos fidiſſimus ille
*Sunderlandus* adeſt, cujus vis inclyta præli
Plus ſolito audiret, niſi major Bibliotheca
Ipſe foret, per quem veterum Monumenta loquuntur,
Et didicere loqui Majori pondere rerum.
Eſtque à ſecretis, non uno nomine Magnus
*Stannopius* Ductor, gladio calamoque triumphans,
En tibi Gradivus, Pater alter & alter Apollo!
Dum Dux *Mannucii*, *rigidus Servator honeſti*,
Cui titulo adveniente novo, Nova gloria creſcit
Angliacis Ducibus, tibi tuta cubilia præſtat:
Dum dormis, vigilat, ſemper tibi fidus Achates.
Redditur exemplo mitrarum ſanctior orbis:
Patribus intemerata fides eſt una tiara.
*Talbothius*, multo Majeſtas quem ambit honore,
Quem pietas, & caſta fides, doctrina, venuſtas,
Stemmata, & ingenium, quem Nectar amabile mo-
Oris & ambroſia, Eloquium ſuper æthera tollunt, (rum,
Ipſe, Aulæ Templique decus, revolutus ad aras
Vota, preceſque facit, cœloſque in fœdera cogit.
Quo vero abripior? quum magni nominis heros
*Cobbamus*, repetens aſſueta pericula Martis

Arma

Arma rapit, quantus ſpectantibus ingruit horror ?
Improviſus adeſt feriendo fulminis inſtar :
Et cœlos, terraſque quatit, dum non caput unum
Devolat ictu uno : tota agmina demetit enſis :
Sternit ad aſtra viam, accumulatur Pelion Oſſæ,
Corpora corporibus, denſatur funere funus,
Ipſa ſibi viſa eſt Hiſpania tota cadaver :
Gentis at ille ſuæ, atque tuos æternat honores :
Hæc vidi, aut vidiſſe per alta ſilentia noctis
Rebar, & haud raro ſunt ſomnia præſcia veri :
Atque ita fit, nam Fama refert plaudentibus alis,
Quod *Vigo* ceſſit Britonum victricibus armis.
Ipſa eadem ceſſit, Noſtris bene nota carinis,
Et prius aſpectu, quam telo vincitur hoſtis.
Ex quo fata in te ſuſcepta fuere Britann'um,
Ipſius oblitus nobis vixiſſe videris,
Libera facturus toti commercia Mundo.
Atque alios quia non ſat erat tibi vincere, victor
Victorem vincis, victuſque trophæa reportas
Nobliliora tui : Certant clementia & enſis,
An ſit parcendo, an feriendo gloria major :
Fœlix clade ſua tota eſt Tarteſſia tellus,
Quippe tuas inter lauros naſcuntur olivæ.
Imperium exerces ſummum, nam te tibi ſubdis,
Et niſi quæ de te victoria nulla putatur.
Uſque adeo non grande ſonat, quod priſca vetuſtas
Jactet, nam Speculum nobis hic ſiſtitur, in quo
Ipſa tuas loquitur taciturna modeſtia laudes.
Mens elata tibi nunquam, aut depreſſa videtur,
Inconcuſſa manet : Sic nunquam in Cæſare Cæſar
Deficit, uſque adeo es conſtanti pectore princeps :
Es ſola pietate reus : Contermina cœlo
Fama tua eſt ; metas neſcit niſi quas habet orbis :

Prin-

Principe ſub tali (per quem lux aurea Pacis
Affulget terris) quæ non ſperare licebit ?
Jam tandem, *Alberone*, tuum depone Galerum,
Et Monachi mœſta conſtringas tempora vitta,
Siſtendus coram Galeato Judice Præſul :
Sit *Gortzi* ante oculos nimium dominantis imago:
Plura referre juvat, ſed vellit Cynthius aurem,
Audax Muſa tace : Didicit de Cæſare noſtro
Tutius & melius fari *Reverentia muta.*

---

*Pane-*

*Panegyricon Triumphale Rusticum in Invictissimum* GEORGIUM, *Salisburiam invisentem*, 1722.

---

# AD REGEM.

URBS satis ampla jacet, quà cursum tendit Avona
Sæpius attentans lucrosa pericula ponti,
Atque ubi vicatim reptat pellucidus amnis;
Cui templum assurgit mira arte & mole stupenda
Pyramidem ostentans, quæ vertice sidera pulsat:
Hic trepidi cives expectant Cæsaris ora.
Explicat haud procul hinc sese contermina cœlo
Planities, ubi Ovis, qualem sacrâre Pelasgi
Auricomo Patri, Phrixeo vellere splendet.
Nunc ubi pastor erat, miles, componere parvis

Et

Et ſi magna licet, referunt tentoria caulas.
Prodiga conticeat moles Memphitica tellus :
Ignivomi ferri, qua tu tentoria ponis,
Pyramidas condis, ſpirantes fulmina & ignes :
Martio & in campo arma inter fremituſque virorum,
En! tanquam Elyſiis ſpatiatur ſplendidus agris
Willius ille tuus, vario qui vulnere ferrum
Laſſavit ſudans, atque enſes enſe retundens,
Et non tam faſtis numerans quam cladibus annos.
Dum bombardarum vultus * Severia cernit,
Plus ſolito trepidat ſubito percuſſa pavore.
Quod ſi ſint arma hæc adeo metuenda popello ;
O ſi in conſpectu reboantia panderet ora
Mobile delubrum lethi, prægrandior æris
Machina, & horrendum, quaſi rupto Acheronte tonaret,
Heu, quam contremeret tota urbs ; in imagine tantum
Viveret, & rogus, & tumulus ſibi viſa futura
Turbataſque ſuas undas horreret Avona.
Pyramis & quæ ſe ſublime attollit ad aſtra,
Ipſum, ubi fundata eſt, imum quaſi viſeret Orcum.
Eſſet cur magnus Williſius, ille Sacrorum
Antiſtes ſtrenuus (jam tum bene notus Hibernis,
Quando ibat rubris Buvindus decolor undis,
Fatis Europæ ſuſpenſis cuſpide ferri)
Thure pio adſtaret, cœloſque in vota vocaret ;
Urbs nova ne veteris lugubria fata ſubiret.
Siſte, Thalia, pedem hic : facies tibi quæ nova rerum?
Cæſare venturo Sacræ quàm Virginis Ædis
Intactæ trepidant tremulo ſtridore columnæ!
Et late ſeſe clauſtrorum mœnia pandunt.
Æmula Niliacis veterem monumenta pateſcunt :
Heroes coram ſe ſiſtunt ordine longo :



* *i. e.* Salisburia. Leland.

Ante diem ſurgunt, nec tantum in marmore ſpirant :
Fortius & ſolito protrudens agmen aquarum
Hæret Avona ſtupens abducto flumine retro.
Ut propriis tantum circumvallata ruinis,
Quæque Senatorum numerum ſine civibus auget
Et Boreæ & ſolis contemptrix, Sorbiodunum
Lætitia inſolita exultat, ſubitoque vireſcit,
Laurigeros aperitque ſinus ! in vertice ſummo
Et *Niveo* ſublimis *equo* (ni ludat imago)
Cernitur *Hengiſtus :* lunatum ter rotat enſem,
Dum Nymphæ peragunt Cithara modulante choreas,
Carmine Teutonico totuſque accenditur æther.
Χαῖρε ſuum haud rauco meditatur gutture corvus ;
Hoc Jovis Armigeri eſt, qui ſeſe librat in altum,
Nomen *Cæſareum* ſuper æthera ferre paratus.
Pyramide in ſumma niveis Themis inſidet alis,
Suſpenditque pari pœnas & præmia lance :
Deprimit interea at *Clementia* mira ſtateram,
Ut quos non armis vincis, vincantur amore.
E tumulo (qui fit buſto fragrantior omni
Phœnicis) remeat *Burnettus* (quo nihil unquam
Doctius aut melius dederat Caledonia terris)
Angelico comitante choro, Templumque reviſit :
Et latus huic claudit ſtellata veſte *Juellus :*
Hoſque adventantis tenet expectatio Regis.
Nec longo diſtat curſu, pia cura Tonantis,
Indomiti Mavortis honos, & gloria campi.
Ut ta-ra-tan ta-ra-tan reſonat taratantara miles !
Paxque renidentes ſpicis evincta capillos
Cæruleum croceis perlabitur aera pennis :
Se ante oculos verſat nivea circundata palla
Ramum prætendens e Palladis arbore raptum :
Quam facile lauros inter naſcuntur Olivæ !
Jam nunc Cæſar adeſt :

Et

Et quam gratus ades, votis optate ſecundis!
Qui pater es patriæ, redivivi gloria regni.
Quis te digna canat, Majeſtas proxima cœlo?
Tota mihi Delos, Pindus mihi totus & errat
Per tumidum pectus: Sublimi fronte retundo
Sidera, & in ſummo Parnaſſi vertice ſiſtor.
Te defendendo capite hoc ſtricto enſe perempto,
Inque altum elato, ter Io mea Muſa ſonaret,
Ipſeque truncus iners animoſior iret in hoſtem.
Ex quo Cæſaream tremebundo poplite dextram
Ipſe ſalutandam dederas mihi, noſtra Camœna
Altior inſurgit numeris, & carmina pangit
Phœbei ipſius tantum non æmula plectri,
Ceu tactus magnete chalybs, qui vergit ad arcton,
Languet amore Tui: facit exultatio verſum;
Et poſt tot brumas, nivcoſque in fronte capillos,
Vernanti ingenio, non mente Poeta ſeneſcit,
Ipſe & in autumno, ut decorentur tempora Regum,
Floreſcunt virides fœcundo germine lauri.
Pone ſupercilium, quo inter media agmina graſſans
Fulmineam exagitas dextram, quum Marſpiter ipſe
Pallet ad aſpectus ſtragum, pauloque recedas,
Miles ait, ſoli ne ſit tibi gloria palmæ:
Pone illos vultus & blando murmure ſpirent
Centenæ Charites; ſit amœnior oris & aura
Omni Myrteto Paphio quod fragrat in horto.
Fas mihi ſit lætis redimito tempora ſertis
Thura offerre tibi, atque Hyacinthos ſuave rubentes
Vultu virgineo, violas itidem atque amaranthos
Puniceaſque roſas; nec ſpernas munera ruris;
Munera ruris enim ſunt lauri, ſunt & olivæ,
Quas veſtra illa manus toto diſpeſcuit orbe.
Si fronti diadema tuæ lex nulla dediſſet,
Sceptrum orbis poteras etiam virtute mereri.

Præſidium Imperii Auſtriaci quantum ipſe fuiſti,
Qui Bifidis Aquilis junxiſti terga Leonum ?
Amphitryoniades dum ſuccurrebat Atlanti,
Haud ita ſuſtinuit ruituri pondera cœli.
Neu *Quintum Imperium Hiſpanus* jam mente volutet,
Dum recolit toto disjectas æquore claſſes,
Navis & undivaga in mediis fit naufraga flammis.
Liligeri Tutela ingens creſcentis Juli,
Dux ille eximius quem pulchra Aurelia jactat,
In gremium veſtrum redolentia lilia fundit.
E thalamo ſurgens Septem Regina Trionum,
Oſculo & amplexu Angliaci fovet ora Leonis.
Angliadum ad vultus ſiſtuntur plauſtra Bootæ,
Cæſar & Arctous tanquam ſua frigora torpet,
Flumine retrogrado dum cernitur ire *Duina*.
Majeſtas tanta ore tuo ſedet atque venuſtas,
Totus ut ad nutus veſtros ſtet pendulus orbis:
Haud aliter ſolis flos inter amœna vireti
Solis in obſequium convertitur ore ſequaci.
Diriget in medio viſu Latialis & aulæ
Jupiter & tremulis ter ſignat pectora palmis:
Ter Divi Petri, ter Virginis ora ſalutat,
Et gelido ſudore madens fata ultima ſentit:
Et caput allidens ad *Sancti* marmora *Petri*
Corruit, & ſacras funeſtat ſanguine ſedes:
Jamque valete æternum diadeamata, ſceptra, tiaræ,
Argentum, currus, aurum, tabulæ, arma, trophæa.
Indomitum genus, & natum infelicibus aſtris
Loiolitanum dira atque inſana propago
Hæc videt attonita, intabeſcitque videndo:
Atque intabeſcat, donec diſcerpſerit Hydros
Dentibus ipſa ſuis, funeſta & tabe veneni
Expuat ægram animam, quæ afflatu polluat Orcum,
Et Preſtoniacos inter ſine honore ſepulchri

Erret

Erret in æternum Stygiæ per inania ripæ :
Pectora amica tibi aſt æterna pace triumphent.
Ne tamen interea deſit tua cura Britannis,
Mulciber Æolios agitat ſpiramine folles,
Mavorti Angliaco ut cudat nova fulmina belli ;
Ne furiale malum plebs ſeditioſa per urbes
Sæviat, aut tacite ſuccedat mœnibus hoſtis,
Aut quas arceret miles, trahat ipſe ruinas :
Milite perpetuo, non deſultoria regni
Fata tui pateris : pro caſtris excubat Argos,
Atque ferox Briareus ; non vis, non lumina deſunt,
Nec, quod præſidium majus, pia corda tuorum.
Non calamiſtrati juvenes, mollesve cinædi,
Nec tetrici Orbilii ferula ſcuticaque furentes ;
Sunt tibi caſtrorum Ajaces & Martis Alumni.
Ante oculos radiat torvus tibi miles in armis,
Terribilem attollens criſtato vertice frontem,
Quique orbem Solis clypeo flammante laceſſit,
Et prius aſpectu quam ferro vulnerat hoſtem.
Cuique nives ovium cæſorum ſanguine tinctæ
Plus ſplendent, quam quæ ſaturantur murice veſtes ;
Cui mens erecta eſt ; ſtellis donandus & enſis,
Inveniens faciensve viam per tela, per ignes ;
Qui gladio reſecet cœci penetralia ſaltus,
Ni cedant tibi ſponte ſua, ter Maxime Cæſar,
O Stator Angliadum, Fidei Defenſor & ultor,
Quo titulo ſic uſque atque uſque inclareſcere major
Gloria ſit tibi quam gemino dominarier Indo.
Nunc Fabii incedit greſſu ; furibundus in hoſtem
Mox Marcellus adeſt ; Sapientia Palladis alma
Et bene nota comes, veſtigia firmat eunti :
Per quem (ceſſiſſet ni *Pax* in dedecus ævi)
Senſerat, heu ! plus quam *titulo* te *Gallia* regem,
Atque leoninos decorarant lilia vultus.

Marl-

Marlboreos teſtor Manes, cineresque tremendos
(Vix ſat honorificus tumulus queis altera Bleinhem)
Atque Cadogonis non expugnabile ferrum,
Cujus hyperboreum nunc protegit umbo leonem.
Præſidium pacis ſunt propugnacula belli,
Et tua templorum ſunt ſuſtentacula caſtra.
Me rapit aſpectus, trahit abſorbetque voluptas
Vix bene nota ſibi, pulchra & tremebunda voluptas:
Ut rutilant Soles! ut Pax ſplendeſcit in armis
Et tanquam Mars alter agit victricia ſigna,
Et gladii capulo ſignat decreta Senatus!
Jam nunc ire dies meliori ſole videntur;
Mens una atque eadem cunctis; non ſcinditur Aula
Diſcolor in partes, animo nova prælia verſans:
Bellerophonteo populis non corda tumeſcunt
Afflatu, ſed apis veluti, quæ allapſa ſuſurro
Blandiſono, liquido diſtendit nectare cellas:
In commune bonum coeunt atque oſcula libant,
Et nova procedunt ſolenni carmina pompa.
Falciferique ſenis redeunt jam ſec'la Britannis:
Rurigeniſque licet (riguo queis clauditur amne
Omne Mare Herculeum: quos arbos læta, coæva,
Ardua, ſparſa comas, rugis ſulcata, reclinis,
Commonet officii) vitam cohibere fugacem
Horti brachiolis, aut exiguo orbe paterno
Ferre pedes inter pulcherrima lilia, queiſcum
*Lactea* ſtrata *via* eſt, myrti genialis in umbra,
Et captare animas fluitantes æthere florum,
Hyblæaſque dapes, grati & libamina cordis
Jure offerre tibi, belli paciſque ſequeſtri.
Atque ſuper lapidem, qui ſtat ſacer arbiter agri
Vicini, Faunos & capripedes Sylvanos
Cernere ſaltantes, dum plectra ſonantia pulſant,
Paſſibus & tacitis, cum ſumma irrepſerit ætas,

Am-

Amplexus inter natorum cedere fatis,
Populea ſub fronde ſedens, dum mœſtus Aëdon
In luctu eſt totus, miſcent gemituſque palumbes.
Ruricolæ nimium felices! qui hæc bona norunt.
Menſa fit his idem ceſpes torus atque ſepulchrum,
Quod Mauſoleo longe præſtantius omni,
Dum cineres cineri fas ſit miſcere paterno,
Inque vicem in tumulo blandis ſe amplectier ulnis:
Una atavis & avo, ſeriſque nepotibus urna eſt.

En! vice jam rerum verſa, rumore ſecundo
Sole ſub occiduo populus W——lenſis & ipſe
Non uno cyatho ſalvum jubet eſſe Georgium.
Audiſtin? *Rex vivat*, ait; vivaſque precamur
Unus amor populi, tremor hoſtis; Neſtoris annis
At placide elapſis, late tibi cedat Olympus:
Pandantur valvæ bifores, atque atria Divum,
Teque adventantem rapiat Gulielmus in ulnas,
Sitque Beatorum *Revolutio* amabile carmen.
(O memoranda dies, nullo delebilis ævo,
Seris grata ſuis hanc inſerat Anglia faſtis.)
Et tua *Progenies* Secli ſpes magna futuri,
Spes patriæ & generis, patriis virtutibus orbem
Ornet in æternum: nihil ultra quærere fas eſt.
Victor Jo, ter Jo Pæan, ter Jo atque Triumphe.
Sic dum alibi manant Pandoræ e pyxide peſtes,
Et gemit inſolito ſub pondere cymba *Charontis*,
Eſt opus Angligenis non arte Machaonis ulla:
Det deus ut vigeat mens ſana in corpore ſano.

*Luctus*

*Luctus & lætitiæ Certamen: Sive Somnium Poeticum, in Conjurationem, Perdite & usquequaque nequam, in* GEORGIUM, *&c.*

——— Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς
——— Ἔχει Θεὸς ἔκδικον Ὄμμα. Hom:

---

# AD REGEM.

NTER Apollineas aliorum ſerpere lauros
Has hederas humiles patiaris, Maxime Regum.
Vi, prece, conſilio, triplici Munimine fretus, (verendus.
Imperium Exerces, ſceptro gladioq;
Non niſi arundineæ ſpicæ ſunt tela triſulca,
Quæ Capitolini fabricavit dextra Tonantis:
In ſua, quod ſtringunt, convertunt viſcera ferrum,
Infandi Enceladi ſocii, Tityiq; Nepotes.

Quæ

Quæ tamen in *somnis* multa sub nocte videbam,
Ne vitio vertas, referat si nostra Camœna
Carmine luctisono; nec enim pavor ossa reliquit.
Ponitur ante oculos qualis mihi Lerna Malorum!
Quæ rerum facies, & anheli pectoris horror!
Sanguinei horrescunt rutilanti crine cometæ:
Fulgura, stella cadens, me rauca tonitrua terrent.
Funereas Libitina faces per compita quassat,
Hyrcanæq; fremunt tygres, faucesq; relambunt,
Terrificos sparguntq; oculis flammantibus ignes,
Et Draco tartareo squamosus sibilat ore:
Corpora strata jacent fluido squallentia tabo:
Ejulat horrendum fœdo Crocodilus in antro,
Surgit & in geminum caput Amphisbœna Senatu
In medio, & dirum in *Patres* vomit ore venenum.
Deserit atq; vadum retrocedentibus undis
Ipse Pater Thamesis——
Jam Trinobantiadum nova flumina sanguinis horret
Alveus attonitus, fundoq; eructat ab imo
Doformes vultus, viduataq; corpore Membra,
Fragmina & a ventis agitata ignita domorum;
Seq; Jovi pandunt penetralia cæca barathri,
Tergemeniq; canis minitantia rostra videntur,
Attonitum horrendis ululatibus implet & orcum.
Eumenides late sparsis per colla colubris
Prosiliunt, dat Roma nova & tormenta flagellis.
Purpureis sudant *Gulielmi Marmora* guttis:
*Burnetti* cineres ventis ludibria fiunt:
Ipsa ea damnantur *præclara volumina* ad ignes,
Propter quæ tulerat *gratantis* vota *Senatus*:
Cumq; suis scriptis *Asaphensis gloria* quondam,
Nunc *Eliensis honos* fato exercetur eodem.
Ast è Præsulibus non nemo, Protea vincens
Vafricie, & vicibus formarum, qui bene novit

*Arcanis Notulis* Mentem committere chartis,
In ſpecubus Stygiis quas Œdipus ipſe ſtuperet,
Famæ avidus, fidenſq; animi, fandiq; peritus,
In Scenam prodit, pandens Poſtſcenia vitæ,
Carmine ferali, verbiſq; precantilus uſus
Currit in Amplexus Romanæ Thaidis ultro
Caſtæ & antiquæ fidei divortia ſcribens :
Prædaq; ſtant blattis veneranda volumina Patrum,
Præ *Machavelliticis* ſcriptis & *Biblia* ſordent,
Utq; *Reformatæ Fidei* cultoribus obſtet,
Cœlum & terram ipſumq; orcum conjurat in arma.
Inter Cardineos Patres, rutilante Galero
Aſſumpto, *triplicis* mox fulget honore *Tiaræ* :
Aſt oculis tandem ſeſe ſubducit, & inter
Nocturnos lemures in Lunæ Montibus errat.
Ecquid ſacra fames dominandi linquit inauſum ?
Quam hæc meminiſſe piget ? facit indignatio verſum.
Quale hominum genus hoc ? quam noſtri infamia ſecli ?
*Summus honos Mitræ* (quondam Dorcenſis alumnus,
Urbs † ubi parva quidem, ſed magni conſcia partus,
Una, ſed unius non tantum gloria regni,
Pontifices ſummos orbi huic dedit, & dedit illi.)
Conſidet ad ripas Thameſinas ; fletibus undas
Auget, & intendit ventorum voce querelas :
Mæſta *Lamitha* gemit, viduata ut conjuge conjux.
Vincla * illi injiciunt, in cujus Nomine pluſquam
Orbis Agenoreus trepidanti expalluit ore.
Jura ſilent : lites dirimunt interprete ferro.
*Carteret* & *Townſhend*, quos Experientia rerum,
Intemerata fides, & virtus neſcia vinci
Evehit ad ſuperos, ſunt lumine & æthere caſſi.
Carceribusq; ſuis, arrecto horrore jubarum,

Fu-

† Blandford. * Cadogan.

Funereas edunt voces uno ore leones, (rum
Dum portenta vident hominum, queis monſtra fera-
Quæ Libyæ deſerta colunt, & inhoſpita regna,
Sunt veluti agnelli innocui, leporeſq; fugaces.
Quam tonat & flagrat *Latialis Jupiter* Aulæ!
Non ita Tartareas flammas vomit Ætna caminis:
Funeſta arma parat: Deus ipſe tridentiſer horret
Flammivomas undas, reboantes fluctibus arces:
Innatat orbis aquis, Gens eſt delenda Britanna.
Luctus & horror! ubi eſtis? ubi ſuſpiria cordis
Attoniti, planctus & ſingultantia verba,
Et quicquid pallens unquam conſpexerat orcus?
Quam Chronii ponti glacialia marmora tranem?
Ah, peream! Scythicos agros ubi Volga pererrat,
Quáve Nives inter, ruptis fornacilus, Hecla
Detonat horrendum & flammas vomit ore voraci.
En! jacet exanimis truculenta morte peremptus
Ipſe *Pater Patriæ*, laus pacis, gloria belli,
Stamine cui vitæ producto in Neſtoris annos,
Neſtoreæ brevitas foret uſq; dolenda ſenectæ:
Utq; animam excutiant, ne quærat forte latebras,
Abdita ſcrutantur vario tentamine ferri:
Nec mors una ſatis: tantum furit ira *Papatus!*
*Brunſvicenſis* honos, *Charlottæ* gloria ſtirpis
Plebeiuſq; cinis cumulo involvuntur eodem.
O vos relliquiæ dulces! O pignora ſacra!
Noſter amor, pariterq, dolor, quam flebile carmen?
Ah! grandi hic liceat ſingultu rumpere verba:
Horrores muti terrent, taciteq; loquuntur.
Ite, ite, O lacrymæ, decurrite flumine pleno,
Fluctus & impellat fluctus, & flumina flumen.
Pulſant, effringunt, vaſtantq; *Æraria* regni,
Fataq; Brutigenum non ſtant niſi judice ferro:
Naſcunturq; novæ, reparatæ cladibus, Hydræ:

Non thalamo aut cunis, non ipſis parcitur aris.
Conſcendit ſolium *fidei Latialis Alumnus*,
Sanguine nutritus, ſatiandus ſanguine nullo,
Ignibus abductus fatàis à tramite recto,
Avius à vero cæca in caligine rerum,
Errat & errantem ſeſe ſequiturq; fugitq;
Et quaſi quadrupedans fucatæ ad imaginis umbram
Serpit humi, ſaxiſq; attritis oſcula figit:
Ipſe *Jovi Latio* aſcenſuro fræna gubernat,
Sacraq; facturo ſuperis (ſi ſacra vocanda
Cruda ſuperſtitio, veri ludibria cultus.)
De more antiquo caudam trahit, atq; lavandis
Præbet aquam manibus, non uno poplite flexo,
Dum ſcreat, haud dubitat maleſanum lambere ſputum.
*Patris Iacobi* (Patrem modo dicere fas ſit)
Fata ulciſcendi manet inſatiabile votum,
Atq; Reformatum à radice exſcindere cultum
Omni vi ſatagit, Latioſq; inferre Penates:
Tempora crediderim rediiſſe neſanda *Mariæ*:
*Cranmerum* video, cui dextra immota voraces
Suſtinuit flammas, alios & ad aſtra volantes
Æthera per liquidum rutilantibus igne quadrigis.
Ante oculos pallens *Godfridi* cernitur umbra,
Cervice obtorta, ſtringenti ſindone fauces;
Et *Tillotſoni* libare ter oſcula viſus
Gloria *Bedfordæ* ſubmittit colla ſecuri.
Spe lucri & cœli ductus, Sicarius audax
*Eſſexæ Heroi* jugulum mucrone reſolvit:
Vulnera hiulca patent: madeſiunt ſanguine veſtes.
Subvenit & *Carolus*: liveſcunt ora tremenda:
Qua morte occubuit, magis ipſa ſilentia clamant:
Fitq; apud Oxonidas ſtatio haud ingrata cucullis
Aonidum Tempe: bibit Iſis Tibridis undas:

Atq;

Atq; ubi flexanimo modulamine plectra ſonabant,
Spurca *Flagelliferi* plagis ſua terga fatigant,
Atq; ſuas lachrymas commiſcent Thamis & Iſis,
Sors manet una omnes, nec tantum *Magdala* plorat.

Dum mecum hæc reputo linquit mea lumina Somnus:
Evigilo, velutiq; exorta luce recedunt
Hi Lemures nigri, atq; *Ignati* dira propago:
Aſt aliquantiſper confligunt ſpeſq; metuſq;:
Me tamen at revoco, radiant præcordia flammis,
Quales ſenſerunt Graiæ, Latiæq; Sorores.
Qualis ~~&~~ hic Vates? vultum aſpiciendo ſenilem,
Miratur Daphne vetulas vireſcere lauros.
Ceruleos cœli campos mea Muſa pererrat.
Sidera conculco ſunt & mihi roſtra Triones:
Vel ſupra aſtra feror, Parnaſſi culmine ſpreto.
Quam reputo nihil eſſe meum niſi regis amorem,
Atq; ſodalitium mentis, quæ conſcia recti
Ipſa ſibi pretium eſt: quid pendula Mauſolea?
I, precor, atq; alium, ſi tanti hæc, quære Poetam.
Fata vices rerum mutant: quæ *pompa diei?*
Sal'sburienſis agri, mihi tota per æquora campi,
Gloria ſe ſiſtit: ter Io nunc dicite cives.
O ſacranda dies! eſto Regina dierum,
Eſto feſta dies, tibi ſurgat & altera Moles,
Cui * *Mons Ambroſii* cedat, Templumq; Mariæ,
Quod licet aſtra petit, fundamina ponit in undis.
Hinc animi, regniq; *Hæres* tibi *Georgius* adſtat,
Cujus ad aſpectus ſubducta luce recedit
Sol aliquantillum, nec toto lumine fulget.
Inde *Cadogan* adeſt: Flammanti fulgurat oſtro:
In quo Natales renovant poſt buſta verendi
*Malbori cineres*, animantq; in prœlia turmas.

Et

* *Stonehenge.*

Et fulvo ſpectandus equo (ſub pondere cujus
Ipſa ſuperbit humus, ſeſeq; attollit in altum,
Ne pluſquam Unius lateant ſpectacula regni.)
Emicat inter utrumq; *Georgius* ille Britannum
Et Rex & Stator, in cujus decoramina frontis
Vultibus ire ſuis & Mars & Apollo videntur :
Nec deſunt Charites : certatim ſuave renident :
Proſpicit & lætas florentes ære catervas,
Atq; equitum turmas, quarum vel Nominis horror
Hoſti terrorem incutiat ſine cæde fugato.
Quanta cicatricum vindemia ? gloria quanta
Pectoris invicti, nil non audere parati,
Quod regis, patriæq; ſalus, & prodiga vitæ
Fama jubet, virtus & tantæ conſciâ famæ ?
Numen adoratum, venerandaq; Cæſaris ora
Spectatum veniunt, qua ſol immergitur undis,
*Saxonici imperii Proceres*, juveneſq; ſeneſq;
Undiq; conglomerant, oculis manibuſq; loquuntur.
Quam demirantur cognato nomine regem !
Lumina queis errant, hærentq; in Cæſaris ore :
Uſq; atq; uſq; hærent, necdum ſatiata videndo.
Cum majeſtate hic quanta eſt conjuncta venuſtas ?
Tantus amor populi, & viſendi gloria regis.
Ille ipſe *Orator*, timor & reverentia *cleri*
(Cui pater eloquii haud dubitet ſubmittere faſces,
Dum regem alloquitur, quaſi Præco miſſus ab alto)
Siſtitur ante oculos, referens magna ora *Juelli*,
Inq; ipſum *exemplar* tantum non tranſit *imago*.
Fit ſat ad imperium nutus, nutuq; jubente,
*Sacra cohors* Regem precibus votiſq; ſalutant :
Sicq; ſalutiferos influxus abſq; tumultu
Demittunt tacito cœleſtia corpora motu.
Libertas, *regina ſui*, te rege triumphat.
Eruis è tenebris vitam quaſi Morte ſepultam :

Carcere

Carcere detenti quam agnoſcunt te *Leonhardum?*
Tantum non faciunt *ſacræ* tibi ſacra *ſorores* :
Unum te inveniunt regem, patrem atq; Maritum,
Per quem miteſcunt ægræ luctamina vitæ.
*Ælfredi proavi* ſunt hæc imitamina dextræ.
Hi tibi reddantur duplo cum fœnore Nummi
Propugnacla æterna tibi ſunt corda tuorum,
Quæ tibi devincis: Manet æternumq; manebit
Toto in *Proceſſu* tanti clementia Regis.
Sic *Lauretanæ* ſuffragia *Virginis* Ædis
In ventos abeunt, & Diva *Maria* Jacobi
*Cordolium* patitur, flacceſcit & *Aurea lampas.*
Huccine deventum eſt, nil ſplendida dona reportant?
Ergone res nihili eſt ſancti *Benedictio* Patris?

## *Ad SENATUM.*

Quin, vos, o Patres, (quibus à veſtratibus omnis
Imperii commiſſa ſalus, & cura Nepotum,
Et Fidei antiquæ, ſignatæ ſanguine avorum,
Atq; renaſcentum, *Gulielmo* vindice, legum)
Jam nunc pro patria veſtros intendite nervos:
*Revius* hinc ſtabit pro vobis; inde *Weargus* :
(Nomina Magna cano, fama celebranda perenni.)
Dunelmenſis * Honos cœloſq; in vota vocabit
Pro vobis, ſacraſq; Manus ad ſidera tendet
Antiſtes ſtrenuus *Williſius* ille ſacrorum,
Per Mare, per terras *Gulielmi* fidus Achates:
Virtutis pretio, celſæ non Sedis honore
Cenſendus; ſordent tituli virtutis egeni.
Abſit, dum ſtabili ſociantur fœdere gentes,

Civili

* *Talbothius.*

Civili ut noſtræ maculentur ſanguine Lauri,
Quas ætas ſtupuit præſens, vix poſtera credet.
Ipſa ſibi officiunt ingentia facta Britannûm.
Pergite Lynceis oculis inquirere in imas
Inſidias orci, conjurantumq; fodinas,
Ne juratarum ſit proculcatio legum.
Hæc manus arripiat gladium, gerat illa bilancem,
Stet jus cuiq; ſuum: Britonum date jura Britannis.
Plectentur pœnis, quales meruere Nefaſti
*Regis adumbrati* ſocii, patriæq; *Cethegi.*
Ultima dehinc reſtant, & decretoria jura,
Qualia dat gladius, vindex atq; arbiter æqui
Centenos ultra *Senecas*, & mille *Catones.*

## *Ad REGEM.*

Deq; novo interea, Tu vero, AUGUSTE GEORGI,
Uſq; perennanti diademate tempora cingas:
Sicq; renaſcentis ſolides fundamina regni.
Sit Pater in nato poſt funera ſera ſuperſtes:
Natus & in natis, & qui naſcantur ab illis,
Sæcula donec erunt, rerum moderentur habenas:
Nec niſi, quam dat ſumma dies, REVOLUTIO fiat.

GEOR-

# GEORGIUS Redux,

## *VIZ.*

## Circiter Jani Calendas, 1723-4.

TE Heliconiades, jam veſtros claudite rivos,
Æraq; mille adſint ſtupefacto cognita ponto,
Queis, victo oceano, dubio in diſcrimine rerum
Angliadum *Pater* ille * *Tonans* ſpoliavit Iberos;
Teq; adventantem gratentur voce ſonora. (poſta
At quorſum hæc memoro? Nempe hæc ſint arma re-
In Jani templo: laxent pomœria Muſæ.
Te redeunte redit mœſtis nova vita Britannis:
Plus ſolito effuſis radiis ſol purpurat agros:
Ipſaq; fundit hyems redolentia Munera veris:
Narciſſus tibi ſuave rubet, tibi lilia candent:
Stellatus mire Cepheus micat ore ſereno,



* Bingus.

Nec ſtricto gladio ſævit furibundus Orion.
Qui modo laude tua intumuit, nunc lentus in auro
It Thameſis, geminuſq; tibi ſe ſiſtit & Indus.
Pes inopinus opes calcat: Stant undiq; Nymphæ
Auratis citharis: Scintillant littora gemmis.
Et tanquam è medio jam nunc rediviva ſepulchro,
Te Dominum & Regem *Trinobantias* alma ſalutat.
Ridenti vultu Bacchus ſtat totus in auro,
*Vivat Cæſar*, ait, plenos & provocat hauſtus.
*Vivat in æternum Cæſar*, vox omnibus una eſt:
Plurimus it cœlo plauſus juvenumq; ſenumq;.
Non procul à Templis atq; *Internuncius* ille
Multiplices fundit lugubri voce querelas;
Evomit & vario bene multa ænigmate Scripta:
Infrendetq; ſuis civilis Enyo catenis,
Inq; ſuos rabidis deſævit dentibus hydros.
Aſt quæ ſe obverſant oculis ſpectacula rerum!
Ætherei proceres à ſummo cardine cœli,
Qua flammas ſpargunt Arctoi ſidera plauſtri
Deveniunt, quorum *Trimnellius* agmina ducit
Prælucens reliquis, niveo velatus amictu,
Sidereo vultu flagrans, ac talia fatur:
Gratatum venio, quod poſt mea fata ſuprema
(Cui tremulo ſuffulta diu vita ægra bacillo,)
*Ter* venerandus honos mitræ, gravitate verendus,
Caſtrorum, Aulai, Templi decus atq; ſenatus,
Pectore conſtanti, priſcæ pietatis imago,
* *Wenlanam Sedem Williſius* implet & ornat:
Huic, quæ ſunt noſtræ ſubducta ea ſtamina vitæ
Adjiciantur, ait; repetitq; ad ſidera greſſus.
Dum Dux infandi ſceleris, fautorq; rebellum,

Ver-

* Wincheſter — W. Malm.

Verborum aucupio pollens, veterator iniquus,
Angliadum è ſacris expuncto nomine Faſtis,
Non unis agitur furiis, vagus incola mundi,
Nec patrias leges naſo ſuſpendit adunco.

Cernitur in ſummo regalis culmine tecti,
Fulmina contorquens bifidus Jovis Armiger uncis:
Tergeminuſq; leo, qualem vix Africa novit,
Excubat ante fores, atq; explicat ora tremenda,
Ejulat horrendum, cœcos repetitq; receſſus.
Tanquam orbe ex alio ſuccedit diſcolor Afer
Numen adoratum veſtrum, auxiliumq; petitum.
Attamen huic uni poteris ſuccumbere culpæ,
Scilicet haud dubitas noſtræ memor eſſe ſalutis,
Immemor ipſe tuæ, quæ te molimina rerum
Sollicitant? animum nunc huc, nunc dividis illuc,
Grande miniſterium perpendens totius orbis,
Dum fidei, patriæq; ſtudes præſtare ſalutem,
Per mare, per terras tempeſtateſq; ſonoras
Carpis iter: non te millena pericula terrent.

Et ne *ſerpentis veteris* letebroſa propago,
Sole tepente, foras prorumpere non vereatur,
Sternere terrificos non defit Apollo Pythonas:
Namq; *Cadogan* adeſt, Mars alter & alter Apollo,
Unus præ reliquis Miles, Dux atq; Senatus.
Uſq; in procinctu miles tibi fulget in armis,
Non tam auro gemmiſq; gravis quam pondere ferri,
Obſequio facilis, nec præceps arma capeſſit:
At quoties res ipſa vocat, Ductore jubente,
Conſcius ipſe ſibi patriæq; & regis honoris,
Inconcuſſo animo ruit in certamina, tanquam
Alcides alter, coopertus pelle Nemæa:

Non rotat undantes enſes, ludibria pugnæ,
Sed cæſim intentat, lethumq; in vulnere ponit:
Atq; ſui impatiens, anguſto hoc orbe ſubacto,
Ad terras alio ſe confert ſole calentes.
Nil quod ab Hiſpanis metuas ſeſe auribus offert:
Ipſe redonati terris *Norriſius Heros*
Exhibet ipſius *Draci* ora atq; æra tremenda,
Inde ſibi metuat gens rarius æqua Britannis.

Quid referam quæ veſtra fuit clementia, Cæſar,
Qua hiſtoriæ revocas quicquid poſt terga biſormis
Janus habet? tua ea ipſa tamen clementia terret,
Ne pariat tandem toties violata furorem.
Quippe ſibi caveant poſthac *ſublime volantes*,
Ad quorum horrendos mores palleſcere diſcat
*Walthami nemoris* quivis ſicarius audax,
Cujus in ore ſedet tenebroſi Ditis imago.
Sunt in propatulo Latii Molimina Patris,
Quæ fugiunt nullos, niſi quos ſopor occupat altus,
Arte *Machaonia* non expugnabilis ulla.
Res redit ad reſtim, fidei certiſſimus obſes,
Sunt capita æthereis contis præfixa rebellum.
Sed quo me incautum rapuit Pegaſeius ardor?
Tu decus omne tuis, velutiq; *Feretrius* alter
Ipſe redux reducem pacem fers atq; ſalutem.
Quam ſedet in vultu majeſtas læta ſereno
Gratantes inter Proceres, plauſuſq; Senatus!
DI tibi dent multas Jani numerare calendas:
Aſt ubi ſumma dies extremam invexerit horam,
Atq; in ſidereas ſedes, natalia regna,
Ceſſeris (elapſis tacito pede Neſtoris annis,)
Deinc quoties Janus portas recluſerit anni,
Non tantum in gelido viſuri Marmore nomen,
Regali tumulo ſolennia dona feremus:

Continua

Continua ſerie dum *Georgius* alter & alter,
Sublimis ſolio Trinobantum vota preceſq;
Suſcipit, æternum lætis dans jura Britannis,
Unus amor populi, nulli gravis, omnibus æquus:
Laus magna Angliadum, totiq; ſalutifer orbi;
Herculeis humeris ſuſtentans pondera rerum.

Ευχαριστ-

Ἐυχαριςήριον *Academicum*

## *Ob Munificentiam vere* Regiam *erga Academiam utramq;.*

——Adoleſcit gratia facti.

Adſis, Phœbe pater, vos ſacræ & adeſte ſorores,
Atq; triumphali jam cingite tempora lauro:
Nam canere eſt animus, totumq; accendere Pindum:
Dumq; cano, inſpirent *Auguſti* geſta furorem.

## *Ad REGEM.*

NEQUID defieri patiaris, Maxime regum,
Quo magis Angliadum clareſcat fama per orbem, (creſcit.
Muſarum Hoſpitiis per te nova gloria
Qualiter effulget, depulſis nubibus, aer,
Tale ſerenato muſis decus ore renidet,
Queis exorta dies, venturæ neſcia noctis,

Et

Et *gemina* propria ſplendeſcunt luce *Sorores*.
Non face multiloquus jam trans mare præmicet Anglo
Eſuriens Gallus, pro rebus verba daturus.
Turba togata tuas laudes licet uſq; taceret,
Vocales fierent lapides, & penſile tectum
*Sheldoni ingentis* (Latium cui cedat & orbis)
Atq; exprobrarent ingrata ſilentia Muſis,
Quæ per *Suarezî* bis dena volumina, cœlos
Scandere non ſatagunt, cumulando Pelion oſſæ:
Plus ſolito ſapiunt, nam moris deſiit eſſe
Ducere caprinam ſubtili ſtamine lanam,
Ne noſtræ fierent tantum *ENS Rationis* Athenæ.

In ſua depoſcunt antiqui carmina vates
Centum ora & linguas: quod ſi mihi forte darentur
Ora tot & linguæ, congeſta volumina thecis
Quot *Bodleius* habet, ſtupor ingens & decus orbis,
Vel te dimidium digne celebrare nequirem.
Quam bene proviſum eſt Muſis, famæq; Britannum!
Aut à conſiliis vel Apollinis eſſe videris,
Aut à conſiliis tibi magnus Apollo videtur.
Non decurtata procedunt veſte togati:
Das nova non adimis vetera ornamenta camœnis:
Non niſi compta magis fit Apollinis aurea veſtis.
Stet ſua libertas *Lectoribus* integra *priſcis*.
Nomina ſcrutentur longævis indita ſaxis,
Et veterum Annales, & ſæcula priſca revolvant,
Thebanum bellumq; canant & funera Trojæ,
Antraq; cumææ referant latebroſa Sibyllæ:
Doctores *ocreas* habeant, *crepidaſq;* Magiſtri.
Queis libet, his liceat veſtigia ferre retrorſum,
Deq; novo *Moſi* fas ſit ſplendeſcere vultus,
*Pocoquii* Manes ſacra revocentur ab urna,

Abdita

Abdita & explorent Solymæa tradita lingua:
*Onkelon* & *Kimchi* celebrent, *Targum* atq; *Maſoram*,
Quicquid & inſeruit ſcriptis Memphitica *Coptos*.
Matronale decus, nunquam moritura per æva,
Lingua *Hebræa* ſuum teneat, *Græca* atq; *Latina*:
Qui tamen ex iſtis deducunt fontibus ortum,
Non exareſcant rivi, ſed rore benigno
Docta *gemellarum* aſpergant habitacla *Sororum*.

Nequis at effundat ſine rerum pondere voces,
Et tantum in nudo verborum cortice ſiſtat,
Et ne priſca gemat pietas (dum mole minaci
Sidereæ ſurgunt turres) tibi proxima cura eſt
Relligiones honos, morum ſtudiumq; bonorum.
Eligis ipſe viros, probitate, fideq; probatos,
Acri judicio, mactos & rebus agendis,
Non tantum hiſtoriæ excultos, linguiſq; colendis.

*Gregorius* tuus hinc, tuus inde *Harriſius* adſtat:
*Iſidis* hic, *Chami* ille decus, decus orbis uterq;
Splendet, & æternum ſplendebit gloria facti.
Quale tuum imperium! diviſis orbe Britannis
Omne ſolum patria eſt: interprete non opus Anglo:
Ipſe ſibi interpres: quoties res exigit ipſa,
*Hiſpani*, *Galli*, *Germaniq*; induit ora,
Et niſi forte domi nuſquam peregrinus habetur:
Anglus enim Angligenis Anglus vix eſſe videtur.
Nec Babel in lingua eſt diverſo idiomate vocum:
Non una lingua mentes commercia miſcent.
Linguarum ignarus, quivis Academicus audit
Exul in orbe ſuo, in patria patriamq; requirit.

*Lucas de Linda* renovato cernitur ore:
Jam nunc verba facit *Videmannus* in ore Britannum,

Atq;

Atq; etiam imberbis ſtat *Puffendorpius* inter
Angliacam pubem, ſtudio quæ præripit annos.
Inde fit, ut ſuperet lanugo tenella juventæ
Doctorum rugis ſulcata minacibus ora.
Auſpiciis veſtris jactent Academiæ alumnos,
Qui Legatorum poſthac, creſcentibus annis,
Munia ſuſtineant, & tractent ardua regni.
*Walpoli* qui magna premant veſtigia famæ.
(En tibi *Walpolum!* cui pectus Apolline plenum,
Qui Patres inter conſcriptos ipſe Senatus)
Hi *Doddingtoni* referent magna ora loquentis,
Quem, *Tarteſſiaca* dum orac'la edebat in *Aula*,
*Grandævi Patres* juvenem coluere ſenilem:
Qui Monitu veſtro *Præfectis* inſitus Æris,
Conſilio Fiſcum duplicato fœnore ditat:
Cui quoties fuerit viſum conſcendere Roſtra,
Tullius ipſe pater, ſe noſtris viſibus offert,
Deq; novo Orator, vel ſe ſuperare videtur.
*Claros* forte *viros* aliis datur, at tibi ſoli
Mittere *Legatos:* Tanta eſt tua gloria, Cæſar.
Par tantum tua fama ſibi eſt, *Auguſte Georgi.*
Temporibus tantis impar Diadema Britannum:
Bellatrix Aquila Auſtriadum tibi ſponte refundit
Victrices plumas, dederat quas conſcia famæ
Angliadum virtus, quam ſec'la futura ſtupebunt,
Cum præ ſe tulerit ſua nil niſi rudera *Blenheim.*
Squalida pauperies nunc rarius incolit Ædes
Muſarum, quas late ambit bene multa juventus,
Vel cui Patricio deturgent ſanguine venæ:
Nec *Dictatores* nobis ita mittit *Aratrum.*
Intumeant fortaſſe novo * Mithridate ſorores.
Par eſt, ut vivas poſt funera, Memnonis inſtar,



* Duarum & viginti gentium, quas habuit ſub ditione linguas percalluit, earu mq; gentium viris ſine interprete locutus eſt. *Plin.* & *Gell.*

Insignis *statua Vocali:* Quin tibi vivo
Consurgant late Pario de marmore templa,
Et collustrentur vestræ aræ thure Sabæo,
Cujus Arausiades geniales captet odores,
Gratatum approperans, tacitis accitus ab umbris.
Quid tamen hæc memoro? Nam templis non opus istis;
En! tot templa tibi quot sunt collegia & Aulæ:
Nec satis hæc: tot templa tibi quot corda tuorum,
Sacra tibi & Musis, queis stat sententia firma
Te *Mecænatem* calamo gladioque tueri,
Talia qui confers tam larga munera dextra,
Munera Threicii vatis superantia plectra:
Munera, quæ nondum natis dant dicere grates.

*Oxoniense vadum, Chami* quam deflet honores!
Redditur *Isiacis Canta* invidiosa camœnis.
Quando erit ut nostras digneris visere Athenas?
Quando erit ut liceat regalem visere pompam
Cæsarei introitus, & te per læta viarum
Strata incedentem, dum te venerantur euntem
*Camdeni* manes, & tu velut alter Apollo
Fers gressus, radiisq; tuis hanc *Delon* inauras?

Lene gubernantem quam te Germania sentit!
Ipse tui juris, quam jus æquale ministras?
Atq; apud Angligenas non es nisi legis Asylum:
Tu patrias leges tantum tutaris & ornas.
Ast quo me rapuit gratantis pectoris æstus?
Dum recolo *eloquium* tam pleno flumine *Chami*,
Nil audere loqui facundia major habetur.

Attamen ignorat pia nostra Thalia tacere,
Numinibus sacris nondum in sua vota vocatis.

Quum

Quum tibi contigerit ſero annumerarier aſtris,
Juxta ea Naſſovii & fuerint veſtra oſſa repoſta,
Applauſu populi ſolium conſcendat avitum
*Georgius* ille tuus, ſceptri, virtutis & Hæres,
Cura Deûm, populiq; ſalus, & gloria Mundi;
More tuoq; vices rerum moderetur, & orbis:
Atq; pari paſſu procedat *Chamus* & *Iſis*:
Certet uterq; ſua pro fama, & vincat uterq;.
Sic erit, ut quando defecerit aureus unus
Ramus, perſimili frondeſcat virga metallo.
Interea placido, quæ nunc damus, accipe vultu,
Atq; novo fœtu florebit adaucta Minerva:
Ipſe eris Hiſtoria, & cunctis celebrabere linguis.

## *Ad PRINCIPISSAM.*

Magna Parens regum! attonitus quam ſuſpicit orbis:
Spirat in ore tuo *Gulielmi* pulchra *Maria*.
Gemma latere nequit quam ſplendor detegit ipſe.
Quem non ſuſpendit tam diæ gratia formæ?
Vendicat imperium Majeſtas vultibus illis,
Quos colit exoriens, & quos colit occiduus Sol.
Hinc tibi quam voluit *Carolus* tranſcribere ſceptra?
At tibi relligio diademate pulchrior omni.
Si forte auderent tecum in certamina poni,
Non ita pulchra foret Venus ipſa, atq; ipſa Diana.
Vincere *quem* nequiit Mars armis, *fœmina inermis*
Viciſti, ad thalamum tanquam ad Capitolia ducta:
Dum tu quod vincis, quod vincitur ille triumphat.
Dulce genus luctæ eſt, ubi mutua & æmula virtus
Ipſa ſibi certat, velutiq; pyropus in auro,
Accipit atq; offert pariter decus atq; nitorem.

Purpureis hic mista rosis quam lilia certant!
Vocibus & tacitis oculi sua gaudia narrant.
*Hannoverana Domus* conjuncta sub axe *Borusco*
*Cæsareæ Stirpi*, Angliadum fert nomen ad astra.
Anglia *tergemino* per te quam fulget honore!
Inservire tibi Musæ, Charitesq; videntur,
Et tibi honorifice à tergo famulantur eunti,
Arreptaq; lyra, fit magnus Apollo choragus.
En! gressus quocunq; moves, tibi nascitur arbos,
Cui Sylvæ Hesperidum, & Nepheleia vellera sordent.
Ad Britonas per te transmigrat Arabia fœlix,
Cui Phœnicem omnino unam numerare licebat:
Tot, quot habes Natos, Phœnices Anglia jactet.
Ex te provenient diademata, sceptra, tiaræ,
Quicquid & imperii terrarum nomine dignum,
Dignum *Gente tua*, dignumq; *Georgio utroq;*

IN

IN UTRUMQUE

# GEORGIUM & REGEM

ET

# *PRINCIPEM.*

QUAM pede festivo exultabat terra Britanna,
Quando inter vivos *Georgius unus* erat?
Nunc increbescat quanto magis Anglia plausu?
Unum tunc habuit, nunc habet illa (duos.
Esto *Periscelidis* posthac Equitum novus ordo,
Proq; una, cingat fascia crura triplex.
Et Mitræ sublimis honos *Willisius* adsit,
*Hoadleiusq;* sagax, & *sine fraude* pius.
Gnaviter effundant, & ab imo pectore carmen,
Ut nunquam desit *Georgius* Angligenis.

Monstra

Monſtra hominum intereant, non tantum Monſtra
Totus ut orbis eat conditione pari. (ferarum,

## Ad Senatum de illuſtriſſimo DUCE MARLBURIENSI apud *Blenheim* ſepeliendo.

FARE, age, quid tumuli meruit *Marlburius* ingens,
Hanc Ædem anguſtam dirue, conde novam.
In tumulum Oxonienſis ager non ſufficit omnis:
Funebre in carmen deficit Oxonium.
Turba novena tace, ſit Machina ahenea Pindus;
Hinc à me diſcat Jupiter eſſe tonans.
Frangat Apollo Chelyn: Mavors mihi claſſicus adſit,
Et Tuba concelebret Tympana & Exequias.
Vos Durotriges, non ultima gloria Phœbi,
Et Galea & Mitris condecorate domos.
Unius ut celebrent pariter duo regna Triumphos,
Anglia ſume lyram, ſume & lërna tuam.
Et tonitru & cantu tellus concuſſa tremiſcat:
Marlborei in laudes totus & orbis eat.
Non ego Coulei Manes Acheronte ciebo:
Funeream in pompam tu, *Gulielme*, veni.
Woodſtochii taceat jam tandem garrula Nympha,
Marlborei laudes axis uterque refert:
Qui tandem jacet hic, revolutis ordine fatis,
Morte triumphata, Patriæ & orbis honos.

Illuſtriſ-

## Illuſtriſſimi ſc. ejuſdem DUCIS *Epitaphium.*

HIC jacet Imperii Auſtriaci *Stator*, & tremor ingens
Gallorum, Angliacæ gentis & una ſalus.
Ultima naturæ enitentis gloria, qualem
Ætas nulla dedit, ſecula nulla dabunt.
De titulo ut conſtet quæ ſit ſententia Divum,
Aliger a cœlis Nuncius ecce! venit:
Nil niſi Nomen, ait, tanti Ducis indite ſaxo:
Unus *Marlboreus* ſufficit ipſe ſibi:
Par tantum ſimiliſq; ſibi eſt: in nomine tanti
Pallet Alexander, Cæſar & ipſe ſtupet.
Tanti facta ducis Mars imo pectore verſans,
Devovet illi aras, deſtruit ipſe ſuas.
Quam brevis urna tamen tua nunc capit oſſa, *Joannes*,
Cui fuit & ſpatium laudis, & orbis idem?

Ad

## Ad REGEM de ejusdem sc. sepultura *apud Blenheim.*

DIruito Molem hanc, ipso spectante Senatu,
Vix satis in tumulum *Windsoriana Domus.*
Da veniam dictis: ipsum cœlum esto sepulchrum:
Clauditur haud alio limite fama Ducis.
Nil superest Musis: hic late cedat utrinq;
Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet.

## Ad eundem sc. Literarum Fautorem longe *Munificentissimum.*

TU Patriæ Pater usq; cluas, *Auguste Georgi,*
Isiacæ & Chami gloria prima lyræ.
Clauditur oceano divisus hic orbis ab orbe,
Clauditur at nullo limite fama tua.

## Ad eundem de Leæna, duos nempe catulos enixa, in turre ſc. *Londinenſi.*

TErrarum Dominum ſalvum jubet eſſe leæna,
Multiplicem prolem ponit & ante pedes.
Sis tibi tu vates: ſit haruſpice non opus: hæc ſunt
Magnanimi & vigilis Principis indicia.
*Parcere ſubjectis & debellare ſuperbos,*
Hoc monet ipſe leo Muneris eſſe tui.
Mens agat excubias, tibi dum ſopor occupat artus,
Sit populiq; ſalus unica cura tua
Atq; ita ſit: tibi cura quies, vigilantia ſomnus:
Lumina pro populo ſemper aperta tua.
Sint Inſigne tui tumuli poſt fata leones:
Hic tibi ſed veniat non niſi ſerus honos.
Interea quoties rugiunt è turre leones,
Septijugi Patris turba ferina tremat.

## Ad virum honoratissimum P. K. fama referente ad dignitatem Cancellarii evectum.

DA veniam facilis, si te mea Musa salutet,
Grande decus Britonum, Præsidiumq; Fori.
Non nisi in obtutu mentem defixus honesti,
Ardeo in aspectus luminis ire tui.
Te colo, non *ceram*; non vestes Murice tinctas:
Mens nitet ornatu splendidiore tua.
Purpura non tibi dat, sed tu das purpuræ honorem,
Quam dum tu illustras, clarior inde micat.
Quos alii arripiunt fasces te sponte sequuntur:
Quo magis ipse fugis, te magis ambit honos.
Tu fidei & legum vindex: si *Canta* vacaret,
Conveniat capiti quam bene Mitra tuo.
O utinam propriis depingas moribus *Aulam*,
Fiat ut Exemplo sanctior illa tuo.
Non nisi ut Alcides fesso succurris Atlanti,
Ast humeros quanti ponderis urget onus?
Confluit auditor vagus undiq;: Turba togata,
Dum tu verba facis, pendet ab ore tuo.
Ire refragaris nisi per compendia rerum,
Curia ne fiat vera Charybdis opum.

Causa,

Causa, licet victrix, nullos habitura triumphos,
Nil lucri præter flebile carmen habet.
Det pœnas, quales dederat Berecynthius Heros,
Aurificos digitos quisquis habere cupit.
Præclaros tulit * Isca viros, quos fama sacravit,
Ast te nil majus, nil meliusve dedit.
Exhibet in vultu sese Themis ipsa videndam,
Jure pari regitur curia summa poli:
Posteritas devincta tibi est: hinc sec'la futura
Te plusquam tacita relligione colent.
Sic, quem consilio vincis, cum viceris annis
Nestora, splendescas sidus in axe novum.
Qua steterat † Phœbi templum, vestrum esto sepulchrum,
Venturisq; ævis *Alter Apollo* cluas.

# *Ad REGEM.*

JAM satis excursum est: ad te mea Musa revertit,
Maxima *Conradi* soboles *Auguste Georgi*,
Cui credant uni pia Numina totius orbis
Imperium, seu qua nascentis purpura solis
Tingit humum radiis, seu qua se condit in undis.

Det

* Sc. Danmoniorum, *Ptol.* i. e. civitas Exoniensis.
† Sc. Apud Westmonasterium.

Det mihi se facilem vestra at clementia, Cæsar,
Dicere quod laudes aliorum non vereatur
Pagina; Tu vero dignaberis, ut tibi constet,
Me laudasse alios, ut te magis ipse celebrem:
Quicquid enim egregium sibi totus vendicat orbis,
Id decus omne tuum est, consummatissime Regum,
Qui das templa Deo, populo jura, otia Musis.
Di tibi dent annos, Populus pia corda, camœnæ
Carmina, & æternum Domus Hannoverana triumphet.

*F I N I S.*